

perire, nec Christianorum nomen deleri. Conati sunt tyranni, & putarunt se delevisse, sed falsi fuerunt. Ergo Christum supra omnia honorare, timere, ac diligere debemus: quis constituto in tam sublimi dignitate non lubens obediat? Habet in femore suo nomen scriptum, *Rex Regum, Dominus dominantium*, *Apoc. 19, 16.* Potest dare suis, quæcunque petunt. Habet clavem Davidis, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, *Apoc. 3, 7.* Quis igitur dicat, nolumus hunc regnare in nos? *Luc. 19, 14.* Non debemus igitur facere, quæ ipsius voluntati repugnant, quocumque tandem nomine nobis injungantur; sive Regis, sive Cælaris, sive Pontificis. Datum enim est Christo nomen supra omne nomen. Ille audiendus est, *Matth. 17, 5.* Cum experimur, nos omnibus esse exolos propter nomen Christi, quod prædixit *Matth. 10, 22.* Cogitemus de nomine supra omne nomen; Nec terreant nos in Christi negotio nomina hujus mundi, quamvis maxima; sint nobis infesta, quid tum? Christo infinito majus nomen datum. Nomen Christi nos tuetur adversus omne nomen hujus & futuri seculi, non suspensum è collo, sed susceptum fide. Cum alii nomina in mundo magna insolenter jactant, nos cogitemus de nomine supra omne nomen. Sicut David ait: *hi currum, & illi equorum, nos verò nominis Jehova Dei nostri recordamur*, *Psal. 20, 8.* Omnia nomina, quibus hinc terremur, peribunt, sed nomen Christi permanebit in æternum, Confer *Psal. 72, 27.* Si proscribantur nostra nomina in hoc mundo, ne labemus animo? non debebuntur in cælo. In illo enim, & per illum scripta sunt, cui datum est nomen supra omne nomen. Si imitemur humilitatem, patientiam, & constantiam usque ad mortem, ille vicissim, cum aboleverit omne imperium, & omnem virtutem, & omnem potentiam, *1. Corinth. 15, 24.* non utcunque nos exaltabit, ut terram hæreditario jure possideamus, quod promittit *Psal. 37, 34.* sed nomen suum novum nobis inscribet, *Apoc. 3, 12. i. e.* suæ gloriæ reddet participes, servato semper capitis, & membrorum discrimine.

2. Toti Christo data est summa illa potestas, & gloria, tanquam Mediatori. Non igitur hinc excludenda est caro. Sed nec ad solam carnem restringenda donatio, quæ facta est toti personæ. Sicut persona se exinanivit, sic personæ datum est nomen, utrique tamen naturæ convenienter. Ergone carni data est majestas omnipræsentis, & omnipotentis? Id affirmat Hunnius, & cum illo alii. At nomen est datum, salvæ utriusque naturæ proprietatibus. Non igitur omnipræsentis majestas, & omnipotentia carni sic data est, ut sit facta omnipræsentis, & omnipotens. Alioqui etiam facta esset infinita, immentia, incorporea, simplicissima. Proprietates enim divinæ sunt impartibiles. Quid? Desinerent esse proprietates Deitatis, exæquarentur naturæ, caro finita esse desineret, & duæ naturæ essent infinitæ, denique ipsa caro verè esset Deus. Quæ omnia cum absurda sint, teneamus scripturæ sententiam, nec ab ea unguem latum discedamus. Sicut Christus totus exaltatus est, sic & nos toti exaltabimur. Gloria dabitur corpori & animæ, non uni parti. Deo servimus, eumque glorificamus animæ & corpore. Ergo glorificemus Deum in corpore nostro, & in spiritu nostro, quæ sunt Dei, *1. Cor. 6, 20.* ut magnificetur Christus in nobis sive per vitam, sive per mortem, *Phil. 1, 20.*

3. Vide subitam mutationem. Qui paulò antè non habebat, quò caput reclinaret, illi nunc omnia subiecta. Nihil est in universo, quod Christo non sit subiectum, *h. l. v. 10.* Nec hostes excipio. Confer *Dan. 7. v. 14. Act. 2, 36. Eph. 1, 22. Hebr. 2, 8. 1. Petr. 3. Tim. 1.*

v. 22. Pugnant quidem hinc multi adversus Christum, cogentur tamen omnes ipsi genu flectere. Omnes antichristi tandem nolentes volentes agnoscent Christi majestatem, & gloriam, cum venturus est in gloriâ Patris sui, & sedebit iudex vivorum & mortuorum, *Matth. 16, 27. 25, 30. 31. Ioh. 5, 22. 27.* Cum Antichristus Romanus, cum Turca, cum alii infideles insultant Christi nomini, non est, ut quicquam moveamur illorum insolentiâ. Erit tempus, cum videbimus pronos abjectos coram Christo iudice. Ibi genu flectent illi, cujus hinc calcârunt membra, *Rom. 14, 11.* Sed nullo suo bono flectent genua; pœnam pendent æterni exitii damnati à præsentè Domino, & potente ipsius gloria, *2. Thessal. 1. v. 9.* Nos igitur hinc promptè imperio ejus subjiciamur, *Iac. 4, 10.* honoremus sicut Patrem, *Iohan. 5, 23.* quicquid egerimus sermone, aut factò in nomine Domini Jesu faciamus, gratias agentes Deo & Patri per eum, *Coloss. 3, 17.* Crucem ejus suscipiamus quolibet mortificationem ejus in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat, *2. Cor. 4, 10.* neque dubitemus, quin nobiscum sit futurus, *Matth. 28, 20.* nos potenter sit defensurus adversus hostes omnes, ab eis tandem plenè liberaturus, *1. Cor. 15, 24. 25. 26.* Et in eos regnum daturus, ut sedentes in ipsius throno *Apoc. 3, 21.* ipsis insultemus, & cum ipso imperemus, *1. Cor. 15, 55. 56. 57. 2. Tim. 2, 12. Apoc. 2. v. 26. 27. 28.* Et cum ipso æternum simus in summo gaudio & gloria. *Ioh. 12, 26. 17, 24. 1. Thessal. 4, 17.*

## XX. De Adoratione Christi Mediatoris.

1. Christo Mediatori debetur adorationis cultus ab omni creaturâ, *h. l. v. 10.* Confer *Psal. 45, 12. 87, 7. Hebr. 1, 6.* Nec obstat, quòd nusquam jussit se adorare, sed ubique invocare Patrem. Nam adorationem admisit, non magis admissurus, quàm Angelus, *Apoc. 19.* Si non deberetur. Pater vult, ut omnes honorent filium, sicut Patrem, *Ioh. 5, 23.* Pater jussit eum adorare. Idque faciunt Angeli, & omnis creatura, *Apoc. 5, 11. 12. 13. 14.* Denique in se jussit credere, *Ioh. 14, 1.* Si fidei cultus ei debetur; adoratio denegari non potest, hinc flectamus Christo genu, idque ex vera fide, ne cogamur inviti in judicio flectere. Cum his enim malè agetur.

2. Adorationis cultus toti personæ, id est, Christo Deo & homini, non tantum Christo Deo, sed Deo cum carne, seu in utràque naturâ præstari debet. Prius ex eo patet, quia scriptura passim ad personam totam refert. Posterius; 1. Quia sic adoratur, ut subsistit autem in duabus naturis. Sic invocatus legitur in Evangelistis, & Actis, *Matth. 2, 11. 8, 2. 8. 15, 25. 28, 17. Marc. 9. v. 24. Luc. 17, 5. Act. 7.* 2. Exauditio est *ἀκούσιον* officii. Exaudit ergo nos secundum utramque naturam. Nec dubium est, quin Christus totus, ut Mediator, hinc intelligatur, cum Paulus nomen Jesu nominat. Ubi non seorsim carnem collocat à Deitate separatam, ut vel solius Deitatis, vel carnis solius nomine flectatur omne genu. Non coordinat hominem & Deum, tanquam duas personas, quibus separatim & divisim cultus deferatur, sed in unius Jesu nomine omne genu flexum iri; docet. De quo sic Athanasius in Epist. ad Adelpium Episcopum; *non creaturam adoramus, absit. In Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit: sed Dominum rerum creatarum, incarnatum verbum Dei adoramus. Nam tamesi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est, neq.*

E e e istius-